nominaremus initio, quem in conclusione reponendum susceperamus. Vtinam eos ad Deum reduxerimus, quibus illud naturæ nomen indulsimus; quos iam alia ratione vrgebo ex absurdis, & incommodis deprompta, vt si quis supersit, quem tanti obiecti amabilitas minimè rapuerit, illum incommoda, & absurda deterreant, quæ si Deus non existit, consequuntur. Verùm antequam, asseramus absurda, operæpretium existimo, vt de natura amoris nonnulla subijciamus, præsertim cùm verus Dei Opt. Max. cultus in amore situs esse videatur. Perperam enim Athei sibi persuadent nos, qui Deum agnoscimus, admittimus, & summè veneramur, nescio quo timore, & angore, velut perpetuo carnifice, premi, atque torqueri: imo nihil est quod tanta delectatione, tantoque gaudio nos afficiat, quàm vbi Deum Opt. Max. summè sapientem, atque iustissimum apprehendimus, & credimus; enimuero præmium ab illo speramus, cùm opus aliquod perficimus ob illius amorem; scimus amantibus eum deesse posse nihil; in omni tribulatione ad eum confugimus; credimus omnia incommoda, quæ nobis occurrunt, aduersa omnia, quibus conflictamur, ipsam etiam mortem à tyrannis illatam, nostræ saluti prodesse, & immortalem beatitudinem nobis comparare, adeout in medijs ignibus, & cæteris tormentis amor Dei nos immensum recreet, & addat robur incomparabile.

Occurritur opinioni, & obiectioni Atheorum.

Nec mihi dixerit Atheus, ijs, qui Deum iustissimum admittunt, vbi quid peccauerint, non solùm timorem, sed & desperationem ingruere, & incuti, quandoquidem falsum est illud, licet enim fidelis Theodidactus peccatum aliquod commiserit, non ideò desperat, sed ad amatum suum, quem nouit esse misericordem, & vniuscuiusque salutem optare, vti bonus filius recurrit, & vix errati veniam postulauit, quando misericors Deus, maximè propitius erratum delet, & filio peccatum dimittit.

Amor quid sit. Variæ proprietates amoris.

Vt ergo ad amorem redeamus, ille est mentis affectus, quo rei amatæ summa quæque, & maxima bona gratuitò cupimus; vnde si pauca, vel parua bona cupis amato, parum illum amas; si verè, & integrè amas, quicquid ei boni desiderare potes, id illi cupis, quod si ei bonum aliquid desideres, non propter eum, sed propter aliud, non eum verè amas, sed aliud in illo. Amor autem est excellentissimus humanæ voluntatis fructus, quo nihil admirabilius, aut dignius in toto mundo nascitur, quo sine quispiã in omni actione sua est insipiens.

1. Amor est liber, non seruus, etenim spontaneum ortum habet, adeout ab inuito dari nequeat, neque ab inuito auferri. Adde quòd homo nihil propriè

2. suũ habeat, nec plenus sit, & integer rei vllius dominus, præterquam amoris sui; cæteta enim externis iniuriis patent. Amor itaque omnes hominis diuitias, & omnem eius thesaurum complectitur, quem pro libito distribuere possit cuicumque voluerit: nec quidquam aliud præter amorem suũ,

3. aut saltem nihil ita dare potest, adeout alteri propriè nolim te gratiam habere, licet totũ mundum tribuerit, nisi id ex amore fecerit, vel simul amorem suum tibi dederit.

4. Hinc fit vt nullum munusculum adeo paruũ, & exiguũ esse possit, quod magnum non faciat amor, quandoquidẽ nihil tam vile est, cui amor gratiam, pretiumque non addat: nam ex magnitudine amoris, quo res aliqua donatur, gratiæ, pretijq; magnitudinem donum desumit. Præterea condimentũ dulcissimũ, atque suauissimũ amorem dixero, quo quicquid habemus, dulce, atque suaue redditur, & sine quo insipida sunt quæcũque agit: ideoque asserimus nos vel Deo, vel hominibus nihil sine amore gratum dari posse. Amor est res omnium pulcherrima, adeout omnibus placeat, & à nemine respui possit: nec enim vllus est, qui amari non cupiat, cui noster amor non sit gratus, si se sincerè diligi senserit, & crediderit: quis enim est ita mẽtis inops, qui non vellet omnes sibi benè cupere, & neminem malè sibi velle. Ipse amor non solũ omnibus placet, sed est in causa cur placeant, quæcũque placent, adeout sit instar alicuius mediatoris, ita omnibus gratus & acceptus, vt per eum, rebus cæteris tum apud Deum, tum apud homines gratia concilietur; sine quo nihil habet homo, quo placeat, cum quo omnia placent.

5. 6. 7. 8.

Mirabilis sanè voluntatis affectus amor, & ita pretiosus, vt nullus quantũcumque diues inueniri queat, qui amoris donum non sit accepturus, aut illud spernere valeat, quãdoquidẽ ipse Deus seipso beatissimus possitnõ potest nõ acceptissimũ habere nostrũ amorẽ, si sincerus illi donetur; qui nullius creaturæ, præterquam amoris desiderio tenetur; quẽ cum ei purũ & illibatum offerimus, nunquam repulsam patimur, aut contemni, atque respui possumus. Quid obsecro admirabilius, quã quod amor neminem offendere possit: enimuerò amare, est alicui bene velle, quod in nullius cedit iniuriã; ideoque amor est innocens, vel ipsa innocentia; qui res, alioquin ex natura sua offensiuas, excusabiles reddit, adeout sit rerum omniũ excusator, nullius verò accusator: quis enim nõ facilè cõdonet iniuriam, quã expuro amore sibi illatam esse deprehenderit? Ille est qui per se solus placet, nec alterius rei cõmẽdatione, vel societate eget, cùm per se dulcis sitt, graiosus, & amabilis; præter quẽ homo nihil habet, quod per se gratũ sit. Hinc fit, vt amor omne hominis bonũ esse videatur, nã si bonus est, quicquid habemus, nobis bonũ efficitur, sin malus, malum; ipsum enim hominem reddit bonum, vel malum, nam sicut arbor bona, vel mala ob bonũ, vel malum fructum appellatur, ita & homo ob bonũ, vel malum amorem; atque ideo qui benè amat, bonus est, peruersus verò, qui malè, & contra naturæ leges. Vnde constat nihil hominẽ melius habere posse, aut sibi vtilius, quàm bonũ amorẽ, peius, & exitiabilius nihil, quàm amorẽ inordinatum; ille siquidem bonorum omniũ, hic autem malorũ omniũ fons est, & origo. Hinc fit, vt cùm amor sit omne hominis bonũ, ei sua omnia tribuat, cui suum amorem dedit; & è contrario sua omnia amittat, cum amorem suum perdidit, atq; malè collocauit.

9. 10. 11.

Pulcherrima amoris Philosophia ex alatis proprietatibus deducta.

Amor enim est veluti talẽtum quoddam nobis à natura datum, vt negotiemur, quo iuxta bonum vel peruersum illius vsum pauperes, vel diuites, miseri, vel beati euadimus. Nam in bono amore virtus omnis, in peruerso peccatum omne consistit. Hinc fit, vt qui probè naturam amoris nouerit, totius boni, vel mali hominis scientiam assequatur; qui verò non eam cognouit; cæcus sit necesse est, dum nescit, quid sibi bonum, quid ve malum sit: est enim pernitiosissima cæcitas, & ignorãtia nescire, quo tendere debeas, & in quod, vel quale bonum collimes, sic enim huc illuc miserè iactaberis, transuersúmque rapieris. Quapropter maximè satagere oportet, vt certò sciamus, cui nostrum amorẽ tribuere debeamus, ne si ex igno-